



De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

14 Vtrùm eum, qui vno aut altero crimine infamis est, liceat de aliis infamare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

ratione famæ, vt ostensum est. Nunc videndum, an hoc sit contra charitatem.

78
Si breui
fama per
latura erat
crimen.

Dico Secundò, Detegere crimen eo loco, quò fama communis illud breui erat perlatura, non est peccatum contra charitatem, saltem mortiferum: quòd si fama non erat eò perlatura, vel saltem non nisi post longum tempus, sæpè erit peccatum mortiferum, si ille ibi erat bonæ tamæ. Prior pars probatur; quia tunc non censeor aliquod notabile damnum inferre, cum iam sit paratum in fama & rumore communi, ex quo necessitate quadam eueniet, spectata hominum conditione & communi consuetudine; idque sine peccato, saltem mortali eorum. Idem docet Nauarr. supra, ex D. Thoma in 4. d. 19. q. 2. art. 3.

79 Secunda pars videtur esse contra Nauarrum & Caietanum; insinuant enim non fore peccatum mortiferum. Sed quidquid sit de horum sententia, est ferè communis aliorum, esse mortiferum: quòd probatur; quia tunc lædo proximum in re magni momenti, quòd merito ægerimè ferrem mihi fieri. Nec refert, quòd ille ius ad famam non habuerit; quia sine cuiusquam iniuria & absque fraude eam possidebat, eaque adhuc diu fuisset fructus: ergo contra charitatem est, illum spoliare bono nomine; præsertim si nihil commodi proueniat detractori.

80 Aduerte tamen, Non fore peccatum mortale, Primò, si ille parum curet se alibi infamari; quòd sæpè fieri solet, præsertim si procul absit. Secundò, Si quis ob graue crimen fuerit publicè punitus: tunc enim sæpè expedit ista ad aliorum exemplum narrari. Et in his casibus, potest intelligi Nauarrus & Caietanus.

81
Quid si
damnum
sequatur.

Petes, Quid si damnum aliquod in corpore vel fortunis inde proueniat: (vt si lubtrahatur pètio, vel coniciatur in vincula) tenebiturne is qui diuulgauit? Respondeo, Quidam putant, teneri; sed verius credo, non teneri. ratio est; quia hæc infamatio non fuit contra iustitiam, sed solum contra charitatem, vt ostensum est: ergo etiam si inde illi damnum obueniatur, non tenebor; quia non censebor causa iniusta illius: quamuis peccatum contra charitatem tunc sit grandius. Confirmatur; quia si actio ipsa non est iniuriosa, neque id quòd ex illa sequitur; vt patet in eo qui absque vi & fraude impedit legatum, vel beneficium, quòd alius tibi volebat conferre: si enim actio, quæ impedit, nõ est tibi iniuriosa, non inducit obligationem restitutionis; quamuis ex ea tibi damnum proueniat.

82
Si nunc fa-
mam recu-
perauit.

Dico Tertio, Si is qui olim ob sua crimina fuit infamis, nunc famam honestè viuendo recuperauit, est peccatum contra charitatem, illa crimina apud eos qui ignorabant commemorare; non tamen videtur esse contra iustitiam, modò non detur occasio opinandi illum adhuc improbum esse. Esse contra charitatem, patet ex dictis. Non esse tamen contra iustitiam, probatur; quia etsi ius habeat ad famam, quam ex eo tempore benè viuendo comparauit, non tamen vniquam acquirit ius, vt dicatur vel æstimetur fuisse probus, illo tempore, quo crimina sua publica fecit: ergo qui narrat eum olim illa fecisse, non facit ei iniuriam; modò id non ea forma narret; vt indieet eum etiam improbum esse. Quòd si alij inde acciperent occasionem dubitandi de præsentì probitate, teneretur saltem ex charitate illam suspicionem amoliri.

DUBITATIO XIV.

Vtrum cum, qui vno aut altero crimine infamis est, liceat de alijs infamare.

Respondeo & Dico Primò, Si illa alia sint 83
valde affinia & ordinariè coniuncta grauiori crimini, quòd iam publicum sit, non erit peccatum, saltem mortiferum, illud aperire apud eos qui principale norunt, vt si narres de adultero, cuius crimen sit publicum, scripisse litteras amatorias, misisse munera, &c. si de ebrioso, non rectè curare familiam, rixari cum vxore: si de illo qui insigne furtum commisit, referas alia minora fecisse. Ratio est; quia non censetur noua infamia. Opus tamen hinc est magna circumspectione, an crimen ita sit annexum alteri, vt non censetur notabiliter infamiam augere.

Dico Secundò, Si crimina illa non sint ita con- 84
nexa, non solum est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam illa patefacere, præsertim si sint alterius generis. Est communis sententia DD. contra Paludanum in 4. d. 19. in fine, quem refutat Adrianus quòdlib. 11. art. 1.

Probatum Primò, Quia qui est infamis in vno genere vitij, non ideo amisit ius ad famam, quam habet in alijs virtutibus: (potest enim quis haberi ebriosus, & tamen esse & haberi iustus in contractibus, fidelis vxori, catholicus) ergo non potest infamari de alijs oculis.

Secundò, Sicut diuersarum virtutum diuersa laus est, alia maior, alia minor; ita etiam diuersorum criminum diuersa est infamia, & alia plura, alia minoris æstimatur. multi enim parum curant infamiam fornicationis, vel ebrietatis, qui tamen maximi faciunt infamiam furti & periurij, ergo nullo modo qui amisit ius famæ in vna virtute, censetur amisisse in alijs; sicut qui læsus est in vno membro, non amisit idcirco integritatem in alijs. Ratio à priori est; quia fama non est quid 85
simplex, sed constat varijs quasi partibus, quarum vna sicut non pendet vno modo ab alia, sic est quid sine alia haberi potest, & à diuersis diuersæ partes famæ possidentur. Rarum autem est, vt quis in omni virtute, fama sit clarus, omnesque bonæ famæ partes sit consecutus.

Sequitur altera pars huius Capituli.

De famæ restitutione, quomodo, quibus, & à quibus facienda.

DUBITATIO XV.

Vtrum fama cum periculo vite sit restituenda.

Dominicus Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. & quidam alij affirmant; si fama sit illustris familia.

Resp. & Dico Primò, Quando ex infamia, 86
quam intulisti, non euenit alteri damnum in bonis superioris ordinis, (nempe in spiritualibus, aut in vita corporali) non teneris cum vitæ periculo famam illi restituere. Ita Caiet. supra, q. 62. a. 3. & opusc. 31. respon. 14. vbi generatim docet rem inferioris ordinis nunquam esse restituendam ex infamia;